



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus VII. De pecunia cuidam sæculari à quodam Regulari donata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus VII.

De pecunia cuidam seculari à quodam regulari donata.

HOnesta quædam matrona cuidam mendicantium monasterio submittit certas pecunias, cellæ, & culinæ inferendas, ut tamen ad suam intentionem certa sacra legantur. Nepos matronæ adhuc studiosus ista volentē offert illas cuidam illius monasterii religioso, suo cognato, hic de intentione benefactricis certior factus allatam summam nepoti latori restituit, utque pro se ad suum beneplacitum illam impendat, hortatur, addens, petita sacra nihilominus legenda fore. Lator nepos religiosi consilio obsequitur, & actis quamplurimis pro tanta in se liberalitate gratis acceptas pecunias in varios sibi commodos usus impendit, quin aliquid suæ aviæ de hac donatione insinuaverit. Post plures autem annos, cum prudentior evasisset, de valore hu-

jus donationis anxius ex Confessario

Quærit. Utrùm ad restitutionem acceptæ hujus summæ sit obligatus?

Synopsis.

§. I.

1. Donationis hujus valor à quo dependeat?
2. Ut rei dominium in alium transferam, illud antea habere debui.
3. Pecuniæ istæ sine consensu Superioris in nepotem translatae fuerunt.
4. Nec conditio, sub qua monasterio hæc pecunia submissa est, impleta fuit.
5. Donator regularis hujus pecuniæ dominio carens, nomine proprio alienare illam non poterat.

H 3

6. Nec

6. Nec nomine Superioris aut ipsius monasterii alienavit.
7. Hinc nulla erat ista donatio.
8. Ad restitutionem tamen ex radice injustæ acceptionis non tenebitur donatarius.
9. Nec ex re accepta, si nullitatem donationis agnoscens donatum nec actu nec in æquivalenti ampliùs habuit.
10. Si quid restituendum erit, hoc aviæ tradendum.

§. I.

Resolvitur Quæsitum.

Resolutio casus à valore hujus donationis dependet. Si enim hæc non substituit dominium in latorem nepotem, translatum non fuit, hinc iste ad restitutionem acceptorum videtur esse obligatus, utrùm autem ipsa donatio fuerit valida, desumendum erit ex ipsius Religiosi ad illam pecuniam latore donandam capacitate.

² Pro solutione itaque petiti quæsitum adverte primò, juxta regulam *Juris 76. in 6. Nemo plùs juris in alterum transferre potest,*

quàm sibi competere dignoscatur. Hinc, ut per hanc traditionem dominium in nepotem à Religioso donatore translatum fuerit, debuit iste illius dominium habuisse, uti etiam potestatem alienandi, saltem si nomine proprio donare intendebat.

³ Secundò. Cùm Superior, vel ipsum monasterium de transmissione hujus summæ omnino nihil sciverit, ideo cum hujus consensu explicito vel tacito donatio ista non fuit facta, eò quòd submissa pecuniæ dominium Superior omnium inscius nunquam ex defectu acceptionis obtinuerit, & ut antea dictum, nemo in alterum plùs juris transferre possit, quàm sibi competere dignoscatur.

⁴ Tertiò. Etsi etiam transmitatur, donationem absolutam monasterio factam in hoc absque acceptione transferri, aliud tamen dicendum videtur de oblatione sub quadam conditione onerosa facta. Accedit, quòd non sit verosimile, Superiorem hanc summam donasse, vel ut suo nomine Religiosus donaret nepoti, consensisse, ut tamen ipsum monasterium ad leg-

genda petita sacra maneret obligatum.

5 Dico itaque primò: Religiosus iste privatus nullo modo submissæ pecuniæ dominium obtinebat, & hinc nomine proprio alienare non poterat. Prob. Religiosus absque sui Superioris licentia nihil habere, possidere, dare, aut accipere potest. Prob. hoc ex cap. *Non dicatis. 12. q. 1.* juxta Bartolum autem lege, *stipulatio ista. §. hæc quoque. initio. ff. de V. obligat.* possidere est civiliter, seu de jure tenere: habere autem est superius, comprehendens tenere defacto, & de jure. Cùm igitur consensus in hujus summæ ad Religiosum tanquam personam privatam translationem à Superiore omnium ignaro defuerit, hinc in hunc regularem dominium non fuit translatum, ut consequenter nomine proprio alienare non poterit: *Cùm nemo plus juris in alterum transferre possit, quàm sibi competere dignoscatur.*

6 Sed neque ex consensu expresso ipsius Prælati utpote harum omnium ignari aut præsumpto, cùm verò simile non sit, obligationem dicendorum

sacrorum monasterio impostam fuisse, licet nullum pro iis submissum stipendium eidem obvenerit. Quod modò de Superiore diximus, etiam de consensu totius monasterii tenendum.

7 Certum igitur est, donationem istam fuisse nullam, & dominium in latorem nequaquam translatum fuisse, superest itaque, ut videamus, num donatarius nepos ad restitutionem faciendam sit obstrictus.

8 Ex radice injustæ acceptionis videtur non esse obligatus, quia adhuc adolescens, & litteris addiscendis occupatus, quæ regularibus liceant, vel non, penitus ignoravit, supposuit etiam, Religiosum suum cognatum tanquam virum prudentem non ignoraturum, quas donationes externis Religiosis privatus facere absque peccato possit, multò minùs suspicatus fuerat, suum cognatum violaturum esse religiosam, quam Deo voverat, paupertatem: ergo de valore hujus donationis ex inculpabili ignorantia certus extitit.

9 Ut autem ex re accepta obligetur ad restitutionem, oportet rem

rem taliter acceptam adhuc actu, vel in æquivalenti apud eundem existere, in quantum scilicet ista summa ditior evasit, occasione illius habens aliquid in bonis suis, quod aliàs non haberet, hoc dubium resolvetur, si attendatur, qualiter has pecunias distraxerit, in quem finem & usum illas impenderit: præter ista etiam ratio temporis, in quo donatarius de valore hujus donationis dubitare inceperit, considerata venit.

Et primò quidem, si dubium exortum primum fuerit, quando acceptata summa nec actualiter nec in æquivalenti amplius existerat, clarum est, radici ex re accepta nullum locum ad futurum, & obligationem restitutionis extinctam esse, tenebitur tamen in iis, quæ adhuc pro illo tempore, vel actu vel in æquivalenti restant, cum omnis res appellet dominum suum.

Cæterùm, cum adolescentes, quamdiu student, præsertim humanioribus, de comparandis sibi ad victum aut vestitum necessariis neutiquam sint solliciti, ipsas etiam donatas sibi pecuni-

as in meras recreationes & genio suæ ætatis arridentes distractiones impendant, probabilissimum est, donatarium ex consumptis istis pecuniis nequam ditiozem evasisse.

Dein etsi transmittamus, durante adolescentia donatarium ex acceptis pecuniis aliquid sibi comparasse, quod aliàs in bonis suis non esset habiturus, si tamen istud non amplius existiterit, quando de valore hujus donationis (quod dubium post plures primùm annos exortum fuerat) anxius hærebat, ab omni restitutione pariter immunis erit. Adde, quod, cum in bona fide pluribus istis annis rem talem, si, quæ adhuc existeret, postederat, etiam hujus dominium ab illo præscriptum fuisse.

Quæret forsitan hic aliquis. ¹⁰ Si nepos noster nullitatem hujus donationis agnovisset, cum summa donata, vel pars illius adhuc formaliter, aut in æquivalenti extiterat, cuinam, monasterio, aut ipsi aviæ restitutio facienda fuisset? Resp. ipsi aviæ, eò quòd istius pecuniæ dominium penes ipsam remanserit, & in monasterium necdum fuerit trans-

translatum, quia ab isto adhuc non fuerat acceptata. Insuper quia bona fide acceptando donata nepos noster nullam injuriam impediendo malitiosè Religiosos à consecutione oblatae hujus summæ monasterio intulerat, potuerunt isti nullum personale jus in nepotem prætere, vi cujus damnum illis malitiosè illatum resarcire tenebatur.



Casus VIII.

De valore donationis, à Candidato, vel Novitio Monasterii bonorum immobilium, & successionis hereditariae capitis, factae.

Cæsareus in ejusmodi Monasterium jam susceptus, antequam iter in Novitiatum aggredieretur, relictam sibi à parente jam defuncto hereditatem, fratribus suis ad petitionem superstitis adhuc suæ matris in suo monasterio donat.

Quær. 1. An hæc donatio à Tridentino Sess. 25. de Regularibus cap. 16. annullata fuerit?

Quær. 2. Num ejusmodi donans hanc à se factam dispositionem durante Novitiatu revocare possit?

Quær. 3. Num monasterium ad illius rescissionem agere possit?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur I. Quæsitum.

An hæc donatio à Tridentino Sess. 25. de Regularibus cap. 16. annullata fuerit?

1. Valori ejusmodi renuntiationis videtur obistere Tridentinum Sess. 25. de Regularibus cap. 16.
2. Et quòd hæc donatio facta fuerit de omnibus bonis, intuitu Religionis ineundæ.

I

3. Præ-